



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XXII. Quibus modis saecularibus obtemperent, & quod nullus reatus hoc
Domini priuilegium minuere valeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

XIX.

Quod nullus sæcularium monasterii possessionem illicite usurpet.

Sæcularium quispiam ausu temerario ius tyrannidis non in Christi cultura præsumptuosus exerceat, non minuet, instigante diabolo, quod sancti Spiritus instinctu tam a me quam a prædecessoribus meis, nec non a catholicis vtriusque sexus hominibus largiflua concessum est dapfilitate.

XX.

De benedictione argentium.

Argenti tribuat rerum cunctarum Opifex tranquillum vitæ præsentis excursus, longævam instantis temporis * futuram æternæ beatitudinis rationem, sufficientem vidualium vbertatem, interminabile prosperitatis augmentum, copiosum virtutum omnium iuamen.

XXI.

De maledictione minuentium.

Minuentem perpetua possideat miseria: in Domini manens persecutione, eius genitricis sanctorumque omnium incurrat offensam: præsentis vitæ aduersitas illi semper eueniat: nulla ei bonitatis accidat prosperitas: omnia eius peculia inimici astantes diripiant: in futuro autem æterni miserrimum cum hædis in sinistra positum damnent cruciatus, si non satisfactione emendauerit congrua quod in Domini vfurpans detraxit censura.

XXII.

Quibus modis sæcularibus obtemperent, & quod nullus reatus hoc Domini priuilegium minuere valeat.

Non habetur huius tituli caput in manuscripto.

Tribus tantummodo causis sæcularibus obtemperent præceptis, rata videlicet expeditione pontis arcisve constructione; alias æterna ditati gloriantur libertate. Reatus quidpiam si incitante dæmone seductus vel abbas vel fratrum aliquis fragiliter, quod absit, contraxerit, iustitia purgante secundum regulæ præceptum abolitus damnetur, maneatque præfatæ munificentiae libertas Altithrono per nostram humilitatem oblata ad monachorum vsus gra-

tuite sibi famulantium inuolabilis æterna libertate iucunda, quia Deus, qui hanc priuilegii largifluam donationem locumque cum vniuersa monachorum familia iuraque omnia sacro subiecta cœnobio possidet, nunquam reatum commisit, nec vlllo vnquam tempore committet. Sit igitur præfata libertas æterna, quia Deus libertatis possessor æternus est.

XXIII.

Quoties & quare in anni circulo hoc fratribus legatur priuilegium.

Anno incarnationis dominicæ nongentesimo sexagesimo sexto scripta est huius priuilegii syngrapha his testibus consentientibus, quorum inferius nomina ordinatim charaxantur.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Edgar, diuina largiente gratia, Anglorum basileus, hoc priuilegii donum nostro largiens Redemptori, locoque eius sanctissimo primus omnium regum monachorum inibi collegium constituens, manu propria signum hagiæ crucis imprimens confirmaui.

Ego Dunstan Dorobornensis ecclesiæ archiepiscopus, largifluam beneuoli regis donationem venerans, crucis signaculo corroborauit.

Ego Eadmund clytos legitimus præfati regis filius crucis signaculum, infantuli florens ætate, propria indidi manu.

Ego Edvard eodem rege clyto procreatus præfatam patris munificentiam crucis signo consolidauit.

Ego Ælfthryth legitima præfati regis coniux, mea legatione monachos eodem loco rege annuente constituens, crucem impressi.

Ego Eadgifa prædicti regis ava hoc opus egregium crucis thaurate consolidauit.

Ego Oscytl Eboracensis ecclesiæ archiepiscopus firmaui.

Ego Athelvvold ecclesiæ Vintoniensis episcopus regis gloriosissimi beneuolentia, abbatem mea altum mediocritate, & alumnos quos educaui, illi commendans, crucis signaculo benedixi.

Ego Aelfstan Londoniensis ecclesiæ pontifex consolidauit.

Ego Oulf episcopus confirmaui.

Ego Osvvold episcopus consignauit.

Ego Bysehtelm episcopus confirmaui.

Eadelfstan episcopus consolidauit.

Ego Eadelm episcopus confirmaui.

Ego Athulf episcopus consignauit.

Ego Vrynryge episcopus confirmaui.

Ærcvrig abbas consolidauit.